DISSERTATIO INAUGURALIS
PHYSIOLOGICO-MEDICA
DE

STRABISMO.

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI
RITE OBTINENDIS
DIE XIII. M. MAII A. MDCCCXLIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

THEODORUS STREICHER
RODANUS.

JENAE
TYPIS SCHLOTTERI.

PATRI OPTIMO

CAR. AUG. STREICHER

DUCI SAXO-ALTENBURGENSI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

SUPERINTENDENTI ECCLESIASTICO PASTORI PRIMARIO

APUD RODANOS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS

ESSE

VOLUIT

AUCTOR FILIUS.

Literatura.

von Ammon, *Die Behandlung des Schielens durch den Muskelschnitt in seiner Monatsschrift. Bd.* III. *Hft.* 5. 1840.

Baumgarten, *Das Schielen u. dessen operat. Behandlung. Leipzig* 1841.

Dieffenbach, *Ueber das Schielen u. die Heilung dess. durch die Operation. Berlin* 1842.

Melchior, De Strabismo. Hauniae 1839.

Mühlbauer, *Ueber Transplantation der Cornea. München* 1840.

Munk, *Die Keratoplastik u. s. w. Bamberg* 1840.

Phillips, Du Strabisme. Bruxelles 1841.

Proske, Dissertatio inauguralis de Myotomia et Tenotomia oculari. Vratislaviae 1841.

Ritterich, *Das Schielen u. seine Heilung. Leipzig* 1843.

Ruete, *Neue Untersuchungen u. Erfahr. ü. d. Schielen u. s. Heilung. Göttingen* 1841.

Stark, *Allgemeine Pathologie. Leipzig* 1838.

Wolff, *Neue Methode d. Operation d. Schielauges durch subcutane Tenotomie. Berlin* 1840.

De strabismo etsi jam permulti iique doctissimi disseruerunt, spero tamen, si in hoc libello sententiam meam proferre conor, fore, ut, quicunque eum legat tironem magna conficere non posse secum reputet.

Hoc vero mihi propositum est: *ostendere quae strabismi genera indicent myotomiam et tenotomiam ocularem.* Quod ut perficere possim, accuratissime morbi causae investigandae mihi videntur, quippe quae in indicanda operatione maximi momenti sint. Jam vero, quum strabismus illud oculorum motionis vitium sit, quo utriusque oculi axes optici non in ea quam oculis percipere volumus re concurrunt, leges illas, quae ad oculi motus pertinent physiologicas praemittam.

I. *Pars physiologica.*

§. 1.

Ut res aliqua oculis omnino percipiatur et per eos perveniat ad hominis sensum internum, oculi nervi sensitivi sive retina communicent cum re illa percipienda necesse est. Hanc communicationem lux efficit, quae e tota rei illius superficie spectanda radios ad oculum mittit, cujus quaedam partes ita eos frangunt, ut denique objecti percipiendi imago retinae tradatur. Illas autem, quarum radii per oculi axin ad retinam perveniant res optime percipi notum est. Quapropter oculus musculis nonnullis instructus est, qui ita eum movent, ut axis opticus ad rem percipiendam semper dirigatur.

§. 2.

Jam, quamquam de singulorum quidem musculorum quatuor rectorum munere non dubitatur, tamen et de musculorum obliquorum superioris ac inferioris et de omnium si una agunt functione physiologi et pathologi disputant. Alii enim musculos rectos una agentes bulbum comprimere et hoc modo breviorem reddere dicunt, unde fiat, ut ad res propinquas percipiendas aptus reddatur. Alii contra musculis hanc functionem abjudicantes accommodationis vim, quam vocant, corpori ciliari adtribuunt, quippe quod lentem crystallinam promoveat removeatve. Hanc opinionem

probabiliorem esse haec ostendunt: a) quando bulbus quamvis leviter premitur, ita retina afficitur, ut turbetur ejus functio et mox dolor oriatur; quod quum in oculorum motibus non fiat, musculos bulbum non comprimere apparet. b) Belladonna vel aliud quidquam remedium mydriaticum oculi accommodationem prohibet vel tollit, ita ut res tantummodo longe remotas percipere possit; attamen musculi tam facile quam antea moventur, neque ullo modo oculos rebus propinquis percipiendis aptos reddere possunt. c) Non secus post cataractae extractionem, quamquam integri musculorum motus sunt, accommodatio valde prohibita est.

Omissis ceteris, quae proferuntur argumentis, musculos sive singuli sive una agant nihil perficere nisi dirigere oculos ad objecta percipienda, satis probasse mihi videor.

§. 3.

Non secus de musculorum obliquorum munere dissentiunt iisque functiones plane contrarias tribuunt. Sic *Ruete* musc. obliquum superiorem oculum deorsum et extrorsum movere dicit; *Dieffenbach* vero, qui experientia abundat, et *Phillips* plane e contrario sursum et introrsum musculum illum oculum dirigere ex usu sese expertum habere contendunt. Aliam functionem e *Bockii* sententia musculus habet eam, ut oculum deorsum et introrsum vertat. Quaenam vera sit opinio in medio relinquo, quum experientia in hac re me deficiat neque alio modo verum inveniri liceat.

§. 4.

Ut res aliqua ab utroque oculo percipiatur sola et simplex, necesse est axes optici in re illa concurrant, radii lucis vero, qui ab eadem ad oculos perveniunt, loca utriusque retinae congrua *(identische Stellen)* tangant. Quod ut fiat, quibusdam utriusque oculi motibus congruis et invicem sibi respondentibus opus est. Motus illi partim ex arbitrio spectantis oriuntur, partim tales sunt quales per reflexum efficiuntur *(Reflexbewegungen)*; in oculis autem apparent et in musculis et in corpore ciliari atque in iride. Postquam enim oculos convertimus ad rem illam quam videre volumus, non statim plane clara ea percipitur; sed tum demum, quum loca utriusque retinae congrua a rei videndae luce irritata eos provocarunt musculorum motus, qui aptissimum oculis praebent statum. Alii igitur motus per reflexum orti apparent in musculis, alii in iride et in corpore ciliari efficiuntur per nervos e ganglio ciliari ad partes illas progredientes, quod maxima ex parte a ramis nervi nasalis s. naso-ciliaris et nervi oculomotorii compositum esse, non secus a nervo sympathico ramulum accipere notum est.

§. 5.

Reliquum est, de lege illa physiologica, qua utriusque oculi motus sibi associati sunt, disserere et de associationis illius causa, quippe qua maxime ad morbum, de quo agitur, spectet, certiores fieri. Gravissimam, cur utriusque oculi motus ita sibi associati sint et ita sibi respondeant, ut quocunque loco, siquidem in horoptro situs est, axes optici tangere se possint,

causam in aequali utriusque retinae irritatione positam esse reor. Primum enim, quum uterque oculus externus unius tantummodo sensus interni partes sint, uni solum voluntati inserviunt et ad unam solam rem se convertunt, nisi forte quid morbosi alterum impedit, quominus spectantis voluntati obediat. Deinde autem, quum causa una externa i. e. res ab oculis percipienda eodem plane modo irritet utramque retinam, motus illi, quos per reflexum oriri supra dixi, in utroque oculo plane iidem sint necesse est. Nam causa eadem ceteris paribus in similia agens similia in iis efficit.

§. 6.

Ceterum motus illi pro angulo, quo radii lucis retinam tangunt varii sunt; unde fit, ut pro situ alicujus rei unius oculi musculi magis contrahantur quam alterius. Rem exemplo illustrem: objectum aliquod ad dextram ita positum est, ut ab oculo dextro remotum sit pollices duodecim, a sinistro duodeviginti; si quis utroque oculo percipere velit hoc objectum, necesse est musc. rectum externum dextrum et musc. rectum internum sinistrum contrahi, neque vero eodem gradu, sed musc. rectus internus sinister magis contrahendus est, ut axis opticus oculi sinistri ad rem perveniat spectandam, quam musc. rectus externus dexter. Hoc autem eo fieri mihi videtur, quod radii lucis in loca utriusque retinae sibi congrua, quae hic visum efficiunt, vario angulo incidunt. Is enim in hoc casu, quem exempli gratia attuli, in oculo sinistro rectior est, quam in dextro. Quum autem radios lucis, quo

rectiores in retinam incidant, eo magis eam irritare verisimile sit, retina sinistra quanto magis irritata est, contractionem tanto fortiorem per reflexum provocabit in musc. recto interno sinistro, quam retina dextra in musc. recto externo dextro.

Jam, quum leges physiologicae a me supra relatae, quibus violatis omnia strabismi genera oriri mihi videantur, ad pathologiam morbi explicandam sufficiant, ne longus sim, ad pathologiam strabismi ipsam nunc transeam.

II. *Pars pathologica.*

§. 7.

Strabismus igitur, ut supra diximus, illud visus vitium est, quo utriusque oculi axes optici non in ea quam oculis percipere volumus re concurrunt. Quod quum opus sit, ut res aliqua sola et simplex oculis percipiatur, complures visus turbationes inde oriuntur; ceterum strabismus in vitiis maxime deformibus semper habebatur. Quod primum attinet ad varia morbi genera, jam a priori concludere licet, quot strabismi genera oriri possint. E morbi definitione duo esse patet: *axes optici vel loco falso concurrunt* vel *plane non concurrunt.* Prioris generis est strabismus *convergens* s. *internus*, qui eo oritur, quod axis opticus oculi alterius alterum tangit, priusquam ad objectum spectandum pervenit. Cetera morbi genera sunt strabismus *divergens* s. *externus*, quo fit, ut axes optici divergant; strabismus *parallelus*, quo axes optici ubique pari intervallo distant; strabismus *superior* s. *sursum*

vergens et strabismus *inferior* s. *deorsum vergens*; strabismus *trochlearis* s. *patheticus*, si pupilla ad nasi radicem vertitur; strabismus *horrendus*, ubi alter axis opticus sursum alter deorsum vergit. Denique discernunt inter strabismum *simplicem*, ubi idem semper oculus morboso statu laborat, et *duplicem*, si modo dexter modo sinister oculus de recta via decedit, qui etiam strabismus *alternans* appellatur.

§. 8.

Causa hujus morbi proxima aut in musculorum ipsorum aut in aliarum oculi vel cerebri partium morbis posita est, quapropter inter *strabismum idiopathicum* et *deuteropathicum* distinguere non ineptum habeo.

§. 9.

A. *De strabismo idiopathico.*

Hoc strabismi genus a vitiis quorundam oculi musculorum oritur, quos vario modo aegrotare variisque morbis, quominus aptos oculorum motus efficiant, prohiberi experientia docet, atque per defectum, per insertionem vitiosam, per nutritionis vitia et nervorum suorum morbos strabismum gignere nunc explicabo.

§. 10.

Quomodo alicujus *musculi defectus*, cujus nonnulla scriptores afferunt exempla, strabismum gignat, facile est intellectu neque eget explicatione. Ceterum hoc strabismi genus rarissimum, vixque in homine vivo dignosci potest.

§. 11.

Saepius forte strabismus e *vitiosa* musculi cujusdam *insertione* oritur, siquidem simul ea longitudine musculus est, qua esse solent musculi illi. Nam si musculus quis, quanto anteriore loco inseritur tanto longior, vel quanto posteriore tanto brevior est, strabismus non efficitur; ubi vero musculus justae longitudinis anteriore quam justo loco inseritur, ad se versus bulbum trahit, ubi posteriore, antagonistae majorem vim concedit, ad quem bulbus convertitur. — Aliud musculi insertionis vitium est, quod interdum ejus fasciculi non ad tendinem conjunguntur, sed tela cellulosa sejuncti singuli in bulbum inseruntur, quo musculus adversarius fortior factus ad suum latus oculum trahit.

§. 12.

Tertii strabismi idiopathici generis causam *in nutritionis* musculorum *vitiis* invenimus. Triplici autem modo organi alicujus nutritio mutabilis est: vel augetur, ad quod genus pertinet inflammatio et hypertrophia, vel diminuitur, unde atrophia oritur, vel alienatur, ita, ut tela musculi fibrosa vel cellulosa aliam accipiat conditionem, quae musculi functionem impedit. Saepe autem huius strabismi generis complures species conjunctae sunt, ita, ut musculorum nutritio aucta simulque alienata sit, quod exempli gratia in inflammationibus specificis fit; idem nutritio diminuta simulque alienata interdum invenitur. Quae quum ita sint, vix haec strabismi genera distingui et accurate distincta tractari queunt; quoad autem fieri possit,

nunc tendam. Primum *de atrophia* agamus, quae perinde antecedere strabismo ejusque causa esse ac eum sequi potest, quod autem atrophiae genus alio dissertationis loco pluribus commemoraturus, hic de atrophia, quae est causa strabismi, disseram. Anatomia pathologica docet, musculos quando aliqua causa eorum nutritio diminuatur, et latitudine et longitudine minores atque pallidos fieri; praeterquam, quod hoc modo breviores fiunt, alia quoque ratione motus musculi male nutriti prohibentur. Motum enim iisdem, quibus nutritionem niti causis, affluxu sanguinis arteriosi, nervorum actione, telae contractilis integritate, physiologi docent. Ergo quod prohibet nutritionem, motui quoque impedimento est. Inde strabismus venit vergens ad id latus, quo musculus laborat.

Contrarium strabismi, quem efficit atrophia, is est, quem gignit *hypertrophia;* haec autem non solum densiorem et majorem musculum reddit, sed etiam ob illam, quam statim commemoravimus causam motus ejus auget fortioresque reddit. Talis musculus perinde ac atrophus ad se versus bulbum vertit.

Non secus musculorum *inflammatio* strabismi causa interdum fieri solet, et vel inflammatio pura apparet, siquidem traumatica est, vel saepius nutritio aucta simulque alienata, cujusmodi inflammationes specificae sunt. Ex his inflammationibus praecipue inflammatio rheumatica et scrophulosa strabismum gignunt; inflammatio autem, sive traumatica sive rheumatica sive scrophulosa, eo tantummodo strabismi causa fit, quod, ut supra dixi, musculi contractionem auget. At quando per longum tempus perstabat inflammatio, illas, quas

alienatae nutritionis sequelas habere licet, mutationes in musculis provocat, ita ut vel breviores, vel tendinosi, vel adiposi fiant, quod vario modo eorum motus prohibere patet.

§. 13.

Jam transeamus ad quartum morborum musculorum genus, ad spasmos et paralyses, quibus non raro musculorum nervi laborant, et primum de spasmi deinde de paralyseos diversis generibus disseramus.

Longum est repetere quaecunque de spasmorum natura et causis pathologia generalis docet, et sufficiat, suo loco afferre quod in re tractanda commemorandum est. Neque vero de spasmis tantummodo, sed omnino de nervorum iis, quae strabismum gignere possunt, actionibus auctis hoc loco verba faciam.

Spasmum provocat vel nervorum vel vasorum sanguineorum vel amborum irritatio nimia; nervorum autem irritamentum vel in ramos eorum musculares vel in cerebrum vel in alias systematis nervorum partes agit saepe remotas, unde per reflexum in musculis motus oriuntur. Res, quae in nervorum ramos musculares vel in musculorum vasa sanguinea talem habent vim, modo chemicae, modo mechanicae aliaeque sunt; sic vulnera, orbitae exostoses, medicamenta et similia oculorum musculos ad contractiones incitant eoque modo strabismum gignunt. Spasmorum causae, in cerebro positae, vel hujus organi vitia diversa vel vitiosa quaedam voluntatis actio sunt, de qua posteriore hoc loco, de prioribus autem, ubi de strabismo

deuteropathico agitur, dicam. Vitiosa quaedam voluntatis actio causa est strabismi illius, quem per assuetudinem ortum esse dicimus; primum quidem voluntati plane obediunt musculi et raro fortasse strabismo laborans oculus conspicitur, at, quum musculi, quo saepius agunt et exercentur, eo validiores fiant, sensim strabismus stabilitatem adipiscitur. Posse vero etiam irritamenta e longinquo per reflexum efficere strabismum, satis experientia docet; quibus prae ceteris adnumerandae sunt sordes organorum digestionis, vermes, haemorrhoides, hysteria.

Ad hoc spasmorum genus, qui praecipue nervorum irritatione oriuntur, praeterea oculorum rotatio et nystagmus pertinent, quos, quum alieni sint a dissertatione de strabismo agente, praetereo. Adnumerandi autem sunt et ii et quicunque oriantur ex aucta nervorum actione, spasmis clonicis; tonicorum contra causa vasorum et sanguinis irritatio est, unde fit, ut stabiliores sint. Recentiores quidam spasmorum tonicorum speciem aliquam commemorant, quos vocant habituales et uti in pedibus aliisque membris curvaturas gignunt, sic in oculis strabismum saepissime gignere dicunt. Quorum causae non satis notae sunt; distinguuntur autem ab aliis spasmis eo, quod per longum tempus perstant et rarissime remittunt, neque vero talem musculorum mutationem perficiunt, ut vere eos breviores reddant, sed contrahendi et extrahendi facultatem tela muscularis servet. Hoc strabismo praesertim laborat musc. rectus internus. Ceterum paulatim, si musculus quis spasmo laborat, ita ejus

natura permutari potest, ut denique movendi facultatem amittat et strabismus perpetuus fiat.

Rarius quam aucta nervorum actio diminuta strabismum efficit, *atonia et paralysis*, quae e causis proximis atque remotis plane contrariis spasmi progenitae, contrarium, quam spasmus habent effectum. Musculus enim atonicus vel paralyticus contrahendi facultate sufficiente non utitur aut plane eam amittit, ita ut antagonista eum superet et strabismum efficiat.

§. 14.

B. *De strabismo deuteropathico.*

Hoc nomine strabismum eum appello, qui musculis bulbi sanis, eo perficitur, quod aliae vel bulbi, vel orbitae, vel cerebri ipsius partes ita constructae sunt, ut illorum motus mutent. Prae ceteris eae bulbi partes, quae visui inserviunt, morborum periculo obnoxiae sunt, qui strabismi causa fieri solent.

Componamus primum et una tractemus illa bulbi vitia, quae lucis radios, quominus recta via ad retinam perveniant, impediunt et ita strabismum, quem *strabismum ab impedimento* vocare licet, provocant; iis adnumeranda sunt corneae macula, leucoma, staphyloma, pannus, pterygium, iridis ectopiae, cataracta centralis, glaucoma, corporis vitrei synchysis et hydrophthalmus, ancyloblepharon partiale, quae omnia strabismum eo perficere possunt, quod luce oculum privant; is autem, lucis quasi fame incitatus, talem quaerit statum, ut nova radiis via detur. Strabismus

hoc modo ortus initio tunc demum conspicitur, quando aegrotus rem aliquam accurate oculo aegro percipere studet, quod si non fit, oculus statum justum tenet. Postquam vero aliquamdiu perstitit, stabilior fit, et musculus illo, de quo supra diximus, modo mutatur. Sunt autem qui ejusmodi vitia strabismi causa fieri dubitent et argumenta pro sua opinione ex experientia capta afferant. Sane, quum lucis radii retinae loca incongrua tangentes duplicem objecti imaginem provocent, visum in illis morbis e strabismo lucra non facere certissimum; at quando tali laborat alter oculus vitio alter sanus solus videre solet et strabismus non omni tempore comparet.

§. 15.

Transeamus ad aliud oculorum vitium, quod strabismum gignere alii contendunt alii negant, eum visus statum, ut oculus alter myops alter presbyops sit; quae conditio, si strabismum efficeret, multo saepius eo laborarent homines; nam permultis oculus alter hebes est. Ceterum talem oculorum diversitatem, quamvis cum strabismo conjunctam, causam ejus non esse, eo perspicuum est, quod myotomia strabismum cum illa oculorum vitiosa conditione conjunctum in perpetuum tollit, unde patet aliam strabismi causam adesse. Ubi autem alter oculus myops alter presbyops est, uterque, siquidem musculi integri sunt, ad res spectandas se convertit, myops vero propinquas, presbyops longinquas magis percipit.

§. 16.

Retinae nonnulli morbi interdum una cum strabismo inveniuntur et ejus causae a quibusdam habentur. *Amblyopiam* et *amaurosin incipientem* alii eo strabismum gignere dicunt, quod per retinam torpidam lucis radii non tam agant in cerebrum, ut sufficienter irritare possit bulbi musculos, qua de causa motus eorum inepti fiant. Alii amblyopiam et amaurosin incipientem hoc efficere negant et oculum hebetem ad eandem, quam alter sanus rem se convertere contendunt; quando vero plane amauroticus factus sit, strabismum oriri posse. Saepe autem, ubi conjuncti erant strabismus et amblyopia, myotomia facta amblyopia sanata est, unde illum hujus causam fuisse sequitur. — *Paralysis* retinae *partialis*, si strabismum faceret, multo majori visus impedimento esset; nam sana quidem retinae pars luci obduceretur, at incongrua, ita ut imago duplex oriretur. — Strabismus, quem vocant *incongruum* e turbata retinarum congruentia ortus, quanto usui esse possit facile intelligitur. Etiam *conjunctivam* oculi, si aliqua causa ex ulla parte *brevior* fit, strabismum efficere posse, semel *Ruete* expertus est.

§. 17.

Breviter nunc de iis, qui strabismum gignere solent *cerebri morbis* agam, quibus prae ceteris adnumeranda sunt inflammatio ejusque morbi secundarii, encephalomalacia, hydrocephalus, paralysis partialis, commotio etc., quorum quum nervi ad bulbi musculos progredientes participes sint, strabismus oriri necesse

est. Ejusmodi strabismi speciebus proprium est, ut sursum aut ex aliorum opinione sursum et introrsum vergere soleant.

§. 18.

Denique quaedam *orbitae vitia*, quippe quae ad ineptos motus oculi musculos incitent, commemoratu digna sunt: orbitae parvitas, saepissime cum microphthalmo conjuncta, directio falsa, exostoses, nodi, tophi, aneurysmata, tumores cystici et aliarum, quae in orbita sitae sunt partium tumores.

III. *Pars therapeutica.*

§. 19.

Tandem progrediar ad investiganda strabismi genera, quae myotomiam ocularem indicent.

In universum strabismum, quem supra nominavi idiopathicum, operationem postulare constat, deuteropathicum, nisi tollatur causa, tolli non posse. Strabismus idiopathicus pendet a musculorum morbis, quorum qui, myotomia sanabiles, hanc indicent operationem, explicare tendam. Strabismus *e musculi* alicujus *defectu* ortus vix myotomia sanari potest, quum musculus deficienti adversarius persectus vulnere sanato iterum in bulbum agat. Majorem sanationis spem *in falsa* musculi *insertione* myotomia praebet, quae musculum falso loco insertum, ubi brevior est,

longiorem, ubi longior, ejus antagonistam longiorem eique parem reddit; difficile tamen hoc vitium dignoscitur.

§. 20.

Inter musculorum morbos, qui e nutritione mutata prodeunt, *atrophia* et *variae contracturae* faustum myotomiae eventum promittunt; nam vulnus in musculo atropho inflammationem efficit ejusque nutritionem auget. *Contractiones* vero variae, quae ex inflammatione, praesertim rheumatica et scrophulosa, oriuntur, praeceteris myotomia sanantur. Musculi *hypertrophici* non, nisi musculi pars excidatur, in integrum restitui possunt.

§. 21.

Quartum strabismi idiopathici genus e musculorum nervorum morbis oriri nervorumque actionem aut auctam aut diminutam esse supra dixi; experientia autem docet, *spasmos* musculorum oculi, siquidem e cerebro oriantur, *myotomia* interdum *tolli*, cujus rei causa in eo posita esse videtur, quod simul nervi persecantur et ita in cerebrum quasi ipsum agitur ejusque actio permutatur. Ubi vero e partibus longinquis per reflexum in oculi musculis spasmi oriuntur, myotomiam esse rejiciendam per se patet; neque quomodo musculos *atonicos* vel *paralyticos* sanare possit, intelligitur.

§. 22.

Denique, si quae strabismi deuteropathici genera myotomiam indicent, quaeritur, vix ullum invenitur,

quin contraindicet operationem. Nam quamdiu non cessat causa, non cessat effectus. Imo maximo detrimento fit myotomia, ubi *retinarum incongruentia* strabismi causa est. — Strabismus, quando cum amblyopia conjunctus ejusque causa est, myotomia, siquidem musculi vitium primarium, strabismum et ipsam amblyopiam tollit.

§. 23.

Reliquum est commemorare, strabismum initio deuteropathicum postea fieri posse idiopathicum. Nam si musculus quis aliquamdiu contractionem, aliqua causa extra eum posita, effectam perpessus est, ita ejus conditio mutatur, ut, etsi causa sublata est, strabismus remaneat, tunc quasi idiopathicus. Is myotomiam indicat.

Jam si ad omnia de hac re relata respicimus, non possumus, quin contendamus, medicos in sanando strabismo nimis crebro myotomia uti; quo factum est, ut multi ejus efficacitati diffidant neque tanta, quanta digna est laude, operatio illa nunc fruatur.

THESES.

I.

Morbus quisque sanabilis est.

II.

Sine chemia ars medica nulla.

III.

Ubi pelvis angustia nimia perforationem indicat, vivo quoque foetui non est parcendum.

IV.

Pathologia generalis multo gravior est speciali.